



*stolatu, de scriptis prelo edendis et de spectaculis moderandis peracta sunt ad textum decreti emendandum*, Typis Polyglottis Vaticanis 1963.

Hora 12,08 moderator annuntiavit quaestionem crastina die suffragationi proponendam circa cap. V schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine*, et rogavit ut qui loqui vellent de cap. III eiusdem schematis nomina sua cum summa sermonis traderent secretariae generali. Tandem indixit congregationem proximam sequenti die, hora 9, habendam. Reposito S. Evangelii codice, em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit, et congregatio hora 12,12 finita est.

## LXV

Congregatio generalis sexagesima quinta habita est die 12 novembris, feria III, hora 9 matutina. Interfuerunt 2.163 Patres, nempe: 57 cardinales, 6 patriarchae, 9 primates, 365 archiepiscopi, 1.565 episcopi, 10 abbates nullius, 12 praelati nullius, 58 praefecti apostolici, 81 superiores generales.

S. Missa de Spiritu Sancto celebrata est, ritu romano, a rev.mo P. D. Benno Gut, abb. primate Benedictinorum confoederatorum. Chorus alumnorum Pontificii Collegii S. Anselmi in Urbe executus est cantus modo gregoriano: *Spiritus Domini replevit, Domine Deus in simplicitate, Sanctus* (IX), *Veni Sancte Spiritus* (post *Alleluia*), *Agnus Dei* (IX), *Veni Sancte Spiritus* (sequentia).

Post Missam, exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, Concilii secretarius generalis, intimavit: *Exeant omnes*. S. Evangelii codicem super paratum thronum statuit exc.mus P. D. Emmanuel Serrano Abad, arch. Conchensis, dum chorus et Patres alternatim cantant ant. *Cantate Domino canticum novum* et canticum *Magnificat*.

Prece *Adsumus...* recitata, secretarius generalis, ex ambone, proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iacobi Lercaro, arch. Bononiensis, pro disceptatione cap. II schematis *de episcopis ac dioecesium regimine*, et annuntiavit distributionem libelli continentis commissiones conciliares. Dein legit nomina Patrum, qui circa cap. II praefati schematis adhuc loqui petierant.

Tunc moderator suffragationem proposuit quaestionis: utrum placeret omitti disceptationem circa cap. V schematis *de episcopis ac dioecesium regimine* eiusque materiam remitti ad Codicis Iuris Canonici recognitionem. In casu responsionis affirmativae, Patres poterant ad secretariam generalem mittere animadversiones, quas circa illud argumentum iam paraverant.

Ad loquendum de cap. II *de episcopis ac dioecesium regimine* ex



ordine vocati sunt em.mus card. P. D. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis; exc.mi PP. DD. Vincentius Zazpe, ep. Raphaelensis, Ioannes Hervás, ep. tit. Doritanus, Franciscus Zak, ep. S. Hypolyti, Hermannus Volk, ep. Moguntinus, Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis, Iacobus Le Cordier, ep. aux. Parisiensis, Thomas Cahill, ep. Cairnensis.

Interim Patribus distributus est libellus, cui titulus: *Commissioni Conciliari*, 2 ed., Tipografia Poliglotta Vaticana 1963.

Hora 10,42 moderator Patres monuit ut locis suis manerent vel ad ea redirent.

Dein ad loquendum adhuc vocati sunt exc.mi PP. DD. Ioseph Sli-pyj, arch. Leopoltanus Ucrainorum, Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus.

Hora 11,06 moderator proposuit ut disceptatio de cap. II schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine* concluderetur. Patres surgendo consenserunt et moderator monuit illos, de quibus in art. 57 § 6 *Ordinis Concilii celebrandi*, adhuc iure loquendi gaudere.

Dein secretarius generalis proclamavit exitum suffragationis, peractae circa cap. V schematis *de episcopis ac de dioecesium regimine*: praesentes votantes 2.166, *placet* 2.025; *non placet* 141. Ergo propositio Patribus placuit.

Idem secretarius generalis annuntiavit transitum ad disceptationem super cap. III schematis *de episcopis ac dioecesium regimine*: « De nationali episcoporum coetu seu conferentia », et proclamavit nomen em.mi card. moderatoris, P. D. Iulii Döpfner, arch. Monacensis et Frisingensis, pro illo capite.

Exc.mus P. D. Aloisius Carli, ep. Signinus, relationem de praefato capite habuit.

Tunc secretarius generalis legit nomina Patrum, qui super cap. III loqui petierant.

Ad loquendum ex ordine a moderatore vocati sunt em.mi cardd. PP. DD. Ioseph McIntyre, arch. Angelorum in California, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici, Ioannes Landázuri Ricketts, arch. Limanus; exc.mus P. D. Michael Klepacz, ep. Lodzensis.

Tandem moderator indixit proximam congregationem sequenti die, hora 9, habendam. Em.mus card. P. D. Eugenius Tisserant, reposito S. Evangelii codice, preces *Agimus...*, *Angelus...* recitavit. Congregatio hora 12,15 finita est.